QVAESTIO MEDICA, CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS II. APRILIS,

M. IACOBO LÆTVS DOCTORE MEDICO MODERATORE.

686

An cui bono tabaccocapnia per nares & os?

EREBRVM magnæ cucurbitulæ inſtar à partibus ſubiectis omnes euaporationes trahit, recipit, & in ſe recondit. Vnde non abs re τῦ ὑγροῦ μητρόπολις dicitur. Hinc apoplexia, epilepſia, lethargus, catalepſis, vertigo, ſymptomata propria facultatis animalis: atque vt & per ſe & per ſympathiam cerebrum magnam partem ſcatet multa humiditate: ſic & pulmo ſuo calore, ſitu & ſubſtantia ſpongioſa eſt emunctorium partium ſuperiorum & inferiorum, adeo vt cerebrum & pulmo inter ſe certent de humiditatis regno, illinc aſthma, peripneumonia, empyema, phtoe, & id genus affectus proprij thoracis, quorum cauſa coniuncta eſt ῥεῦμα συνιστάμενον, cauſa antecedens ῥεῦμα ὁρμώμενον, ſúſque déque.

VIQVE parti ſuum præſidium, cuique morbo ſuum alexiterium: Illi ad ſanitatem tuendam, huic ad eandem recuperandam: vtrique cómunia multa, vtrique propria multa: omnis enim indicatio ſumitur ab affectu, & parte affecta. Phlebotomia συλλήβδην plethoræ, catharſis cacochymiæ dicata eſt, cùm ad reuellendum, tum ad deriuandum: Sed vt ad euacuandum è cerebro quod noxium eſt errhina: ſic ad propriè euacuandum è pulmone anacathartica, primò & per ſe debentur, an non ad ſerum vtriuſque ſimul & ſemel expurgandum facit Tabaccocapnia per nares & os?

ABACVM hydragogum multum emungit, multum expuit, ſed hæc emunctio, hæc expuitio non λυπικὴ capite vel pulmone laborantibus: Viſcus enim vtrumuis malè affectum non emendabit ſuffitus hircoſus: atque bene habentibus num tabaccum? quod qualitate ſua venenata, exhaurit vtriuſque tam cerebri quàm pulmonis ὑγρὸν οἰκεῖον. Vnde ſpiritus animalis & vitalis ἀναρχία, nec amplius certamen fit niſi περὶ τῆς ἀρχῆς ζωτικῆς ἀναλώσεως, & interitu hominis violento.

VIS enim homo ferre potis eſt tabacci graueolentiam? an Mithridates, an puella illa napello nutrita? an Americus ille ſiphilide laborans? quid tum? ab exemplo argumentum non valet: ea eſt tabaci temperies peculiaris, ea acrimonia fumo excepta, vt ſua tetra mephiti aſſidua homini non aſſueto, mentem inficiat, ſenſum & motum deprauet, ſpiritus commeatum præcludat: in deſuetudinem huius ſuffumigij abeunti incredibilis ſe offert bonorum fœtura.

ANITAS optata, vita longæua, pepſis qualis eſſe debet, anadoſis, hæmatoſis in hepate, ſyrrhoe in corde, νοῦς in cerebro & qualibet corporis particula, ἴσχυς καὶ δύναμις omnium & ſingularum partium, εὐλομελία, excrementorum ſecretio, expulſio διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων: Ita vt natura bene conſtituta non indigeat tabaccocapnia ad cerebri vel pulmonis alueolos expurgandos, & multo minus ad hoc vel illud viſcus inflammatum contemperandum, cùm tabaccum ſit calidum ſiccum. Quid moror? cerebro & pulmoni, ſanis vel ægris.

Ergo nulli bono eſt tabaccocapnia per nares & os. 132

Proponebat Lutetiæ VRBANVS BODINEAV Andegauus, An. R.S.H.M.DC.XXVI.